

B. M. II 57.
h. 8, 16.

Hk
4540





NONNIHIL
DE FORMA IMPERII ROMANO GERMANICI
PRAEFATUS

V I R O

PRAECELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

**CHRISTIANO FRIDERICO
SCHMIDT,**

SUMME REVERENDI CAPITULI MERSEBURGENSIS
SYNDICO

N O V U M M U N U S

F R A T R U M S U O R U M N O M I N E

G R A T U L A T U R

C H R I S T I A N U S E R N E S T U S S C H M I D T .

L E U C O P E T R A E ,
L I T T E R I S I F I A N I S .



CHRISTIANO FREDERICO
SCHEIDEL

V. I. L. O.
PRAECELESTINUS, VITULUS, DUCIUS, MO
CHRISTIANO FREDERICO
SCHEIDEL
CUM TERRA, CAVITATE, ET CAVITATIBUS
EXALTA.



LIBROS LIBRARIA
PONICKAVIANA



O D E

Laudibus fratriis pius invidebit

Neutiqvam frater, neqve blandiora

Isdem adulator volet immodestus

Tura adolere.

A 2

Gaudium vero, placido tumultu

Qvod ciet pectus, iubet explicare

Hic dies laetus, T I B I sic amoenus

Tamqve decorus.

Gaudio, en! pectus Patris intumescit,

Filii qvalem coluere pauci:

Sumtibus nullis, precibusque nullis

Ille pepercit,

Ut forent nati pietate pleni,

Ut probi cives fierent, ut apti

Rebus, ut possent aliis fibique

Esse saluti.

Fallor, an talis, bone FRATER, esse

Tu cupis? Late TIBI nunc patentes

Prospicis campos, ubi vis virilis

Exspatiatur.

Sentias, qvanto TIBI sit decori

Tot VIRIS Magnis placuisse, qvorum

Quemlibet gestit sibi contigisse

Patria gaudens.

Mente sic laeta subeas, ferasqve

Munus injunctum, PROCERES benignos

Sentias, qvicqvid solet esse gratum

Experiaris.



Quaerentibus nobis scribendi materiam, in qua vires ingenii, quam lescunque sint, exerceremus, cum ea doctrinae pars, quae ad statum publicum pertinet, nobis semper prae omnibus aliis arridere, praecipua huius disciplinae capita summa cum voluptate sumus perfecti, in formis civitatum multarum esse, quae adhuc cogitatu digna videbantur, invenientes, nonnihil de forma Imperii Romano Germanici, insigni illa, atque longe praestantissimi iuris publici particularis quaestione, in hac differendi opportunitate, in medium proferre apud animum constituiimus, hac spe freti, fore ut viri erudit*i*, quibus inveniles hice conatus occurruunt, favorem suum hand sint denegatri. Etsi probe perspicimus, vires nostras ad exhaustiendam hanc materiam non sufficere, quidam tan*et* de aequo lectorum judicio desperaremus, qui sciunt, iuuenium scripta, non tanta eruditione plena esse posse, atque recte quanta gaudent libri et commentationes virorum, doctrinae laude celebrium.

In laudem scientiae illius, ex qua scribendi thema depremisimus, excurrere, plane incongruum esset, cum apud omnes in confesso sit, utilitatem iuris publici potissimum in eo versari, ut illa ipsa scientia id contineat, quod ad bene erigendam pariter atque sapienter administrandam rempublicam plurimum faciat. Id quod multi de hac scientia insigniter promeriti probe intellexerunt, eamque ob causam docendo non minus quam scribendo eam collustrare studuerunt. Quod quidam duplice modo factum esse videmus. Alii enim ¹⁾ omnem huius doctrinae ambitum.

¹⁾ Ut Iohannes Jacobus Moser, vir in hac scientia ad admirationem usque progressus, nec minus hoc referas illustrissimum Iohannem Petrum de Ludwig, qui edito in auream bullam commentario immortalem de Scientia iuris publici famam sibi comparavit.



bitum illustrarunt, alli partes, et peculiaria themata tractanda sibi sumserunt, ex qua eruditorum assiduitate ut ipsiusmet eruditis, ita toti humano generi multum utilitatis enatum esse, si demum inficiabuntur, qui ultra iuris ciuilis prudentiam et processum communem sapere nequeunt.

Nos vero, qui ad scribendum animum appellimus, materiam elegimus, scitu non solum necessariam, sed et utiliem sane, partim, ut cognoscamus, quam formam habeat nostrum S. R. Imperium, partim ut perspiciamus, quo modo illa differat a regenda superioritatibus territoriorum ratione, et ut denique constet, formam, qua utitur Germania nostra, ipsi esse propriam. Si de re quadam inter eruditos sermo est, quae vel scribendo, vel docendo omnibus esse debet numeris absoluta, necessarium sane est, ut de ipsius rei tractandae notione inter eos conveniat, ne de ipsamet re, tanquam clara et perspicua praesupposita lis moveatur. Quod et ad nos transferre volumus. Definiamus igitur, si placet, formam regiminis, quae non est, nisi determinatio personarum in numero, quibus competit exercitium imperii ciuilis, seu, si mavis, constitutio summae potestatis in civitate aliqua secundum personas, quae eam iure proprio et independenter exercere debent. Summa potestas, id quod primum esse debet in unaquaque civitate, constituit formam regiminis, cuius exercitium iure proprio et solius Dei vice fieri necesse est. Si personae constituedae sunt, quae summa polleant potestate, adeoque direccione imperii ciuilis gaudeant, cuiilibet statim in mentem veniet, tres potissimum dari in determinandis hisce personis casus, quibus summae potestatis deferatur exercitium. Illa enim potestas summa vel uni in civitate deferri potest, et ubi hoc locum sibi vindicat, oritur Monarchia, vel per collegia summa potest dirigere imperium ciuale, et tunc habemus Aristocratiam, ubi vero populus in exercendis supremae potestatis actibus in confortium adhibetur, vel illam ipsam solummodo exercet, tunc adest Democratio. Prius vero, quam in pertractanda materia progedimur, non alienum, immo potius necessarium videtur, in rationem et modum oriundarum civitatum indagare, ut videamus, ortis civitatis, simul natus esse earum regendi rationes, seu formas. Originem vero civitates trahunt, cum plures familiae, quae antea in libertate naturali vivebant, ideoque immunes erant ab exequenda alterius voluntate, pacis externae et socialitatis fruendae causa, in unum quasi corpus coalescunt, unum

unum vel plures sibi eligunt superiores, cui, vel quibus summam, quin ante hanc unionem ipsaem habebant, deferunt potestatem, totum corpus tam contra interna, quam externa tuendi pericula, et eius, vel eorum voluntati iustibusque sunt dicto audientes.*). Etenim dirae necessitatis ratio prima homines docuit, ad vitam securam vivendum contendere neminem posse, nisi aliorum viribus atque auxilio juvetur. In statu naturali qvoad homines vivebant, quo sine omni socialitatis nexus contemplandi sunt, nullus imminentia pericula ob virium exigitatem poterat propulsare, quae vero removere si volebant, cum aliis se conjungere necesse habebant. Sic oriebantur civitates, et cum iis illiarum formae, qva remota civitas cogitari nequit. Qui quidem civitatum modi pro diversis uniendi causis plurivarum dividii possunt. Sed haec est nova eaque plane singularis civitatum divisio, cum nempe plures ortae jam civitates se eum in finem conjungant, ut quaelibet propriam quidem regendi formam cum propriis regalibus retineat, communem vero potestatem supremam agnoscat, ad quam accusationes et provocaciones ex singulis civitatibus ferantur, et quae de rebus ad salutem conservationenque totius uniti corporis spectantibus, decernit. In quo uniendi modo hoc singulare invenies, quod adsint plures inter se invicem aequalitate personali gaudentes civitates, in dictis jam rebus vero agnitarum communis supremae potestati subjacentes. Quae uniendi descriptio docet nexus regionum Germanicarum: et illa civitatum connexio dupli modo fieri potest. Cogitari nimirum potest, plures civitates independentes sub una suprema potestate se conjungere posse, ita ut respectu ad hanc supremam potestatem etiam independentia gauderent, si Belgii foederati potestati alterius se submittere vellent. Quem conjungendi modum frustra in Germania quaeres, quam si ab omni parte considerare velis, unum efficit statum, qui tamen, orto systemate feudali, ubi duces et comites, qui antea directores protectoresque regionum erant, illas sibi proprias facerent, in plures dividebatur provincias, quarum quaelibet preprism accipiebat formam, modo ne connexio, qua Imperii capitii suberant, penitus defineret. In perqvirendis iis, quae

jam

*). Elegantissime super hac re disputatum est in libro, cui *Inscriptio ineft, Staatsveraenderung von America, durch den Abt Raynal.* Frankfurt und Leipzig 1781, pag. 24.



jam a nobis disputata sunt, iure meritoque disquirendum videtur, **utrum** Germania nostra simplex sit regio, an composita? Et neminem vereor contradictem, cum Germaniam nostram regionem, ex pluribus singularibus territoriis consistentem, dico. Quae territoria, licet quaelibet propriam habet formam, plane inter se diversam, in eo tamen differunt, quod illas civitates perperam respectu ad Imperium independentes dicas, quae subjacent supremae Sacrae Caesareae Majestatis potestati. Quo circa illi vehementer peccare videntur, qui sub forma Imperii Romano-Germanici systema pluriū civitatum²⁾ cogitant, cum illud ex pluribus a se invicem independentibus provinciis, foedere aequivali ad finem cuiusvis provinciae unitis viribus obtinendum consistat, et in illo systemate non sit nexus subjectionis, sed aequalitatis, quod vero in Germania nullo pacto esse potest, quia regiones Germanicae nec independentes sunt, nec superioritatum territorialium conjunctio ad finem cuiusvis regionis Germanicae, sed ad commoda Imperii salva fastigie praefixa vergat. Qui quidem regiones inter se invicem conjungendi modus soli Imperio Germanico proprius est, nec continet quicquam, quod contradictionem involvat, sed omnia possunt ad principia communia reduci. Sic Germania nostra tot continet peculiares civitates, quot sunt Electoratus, Principatus, Comitatus, Urbes Imperiales, nec minus territoria Praelatorum Imperii, eiusque equitum. Quarum civitatum quaelibet proprium habet regimen, cum regalibus majoribus et minoribus, immanentibus et transiuentibus. Sic tota Germania exemplis diversitatem regiminis concorrentibus, abundat, et idem plane diuersum est, quod ad formam cuiusque regionis pertinet. Varia territoria, variae legislationes, variae formae judiciales, varia militia, variae monetae, varia vestigalia, et in una regione haec omnia alter se habent, ac in altera. Quantumvis vero haec omnia inter se discrepant, in eo tamen convenient, ut iis, quae jam dicta sunt, nihil insit, quod legibus Imperii, ideoque summae potestati,

2) De Systemate Civitatum primus Samuel L. B. de Puffendorf scriptis, in diss. Acad. Select. Upsaliae anno 1677 junctim editis. Et licet Cornelius van Bynkershoek in Quæst. Iur. Publ. Lib. II. Cap. 24, Joachim Erdmann Schmidt in Exerc. Pol. Hist. de civitatis Origine, Civitatumque systematis Ienae 1745 multum de hac materia disputatione, in ramen omnibus communi eruditorum suffragio palmarum præcepit. Illustris et de re omni litteraria insigniter promeritus Ernestus Carolus Wieland, Antecessor Lipsi, in dissert. politica de Systemate Civitatum Lipsiae 1777 habita.

stati, cui omnia subjacent, contrariatur. Ex quibus bene satisque apparet, nostrum in quo vivimus, Imperium, singularem sane, sibiique soli proprium inter se regiones connexendi modum continere, quem is deum perspicit, qui iuri, quod per Germaniam obtinet, publico, addiscendo operam navat, et in evolvendis historiae Imperialis monumentis, diligenter versatur, optime vero cognoscit, qui negotiis publicis gerendis adhibetur. Quibus tanquam generalioribus praemissis, diversas auctorum de forma Imperii perquirere, easque pro virium, quibus instructi sumus, imbecillitate refutare placet. Et si enim ex iam aductis non minus, quam ex ipsis Imperii legibus dilucet, quid de forma Imperii sit statuendum, disformes³⁾ tamen de ea sunt Doctorum opiniones, nec desuerunt, qui, studio placendi affectibus suis nimium indolentes, in hanc vel illam dilabuntur sententiam, prout ipsorummet utilitas patitur. In quorum censum primo loco veniunt, qui formam Imperii Democraticam singunt, eam ob causam, quia subditus Imperii, cives, vocentur, quibus competit ius suffragium in comitiis ferendi, ex mente Aristotelis, eum, qui deliberandi et de re publica suffragandi iure gaudet, civem dicentis. Cui quidem sententiae si adstipulari possemus, Imperium nostrum Democratae nomine insigniremus, quippe cujus cives descriptionis Aristotelicae ratione habita, in complexu Ordinum S. R. Imperii concernuntur, qui in comitiis de Imperii salute deliberandi statuendive iure fruuntur. At enim vero istam civium descriptionem si quis est, qui republica Graecorum Romanorumque altius velit extenderet, eamque ad formam Imperii determinandam adhibere, non a vero solum aberraret longissime, sed et in hoc incideret vitium, quo implicitos videmus, qui ius Germaniae publicum non ex genuinis ipsis fontibus, i. e. non ex ipsis Imperii legibus, nec ex observantia Imperii, nec ex privilegiis statuum singularibus derivarunt sed illud ad principia iuris Romani metiri voluerunt, quod quidem jus in hac disciplina ne in subsidium quidem adhibendum est, licet in modo docendi juris publici doctrinam, in stilo medii aevi investigando, et in constituendis principum iuribus

B 2

psum

3) Has doctorum diversas opiniones colligit Illustris Nicolaus Christophorus L. B. de Lynker, in diss. de Forma seu Statu S. R. Imperii Ienae 1689. et Joachimus Henricus Sibrand in diss. de Forma seu Statu S. R. Imperii Rostochii 1645.



sum habere possit. 4) Sunt porro, qui Imperium nostrum pro Aristocratisa vendidant, in personati Hippoliti a Lapide ⁵⁾ et Io. Wolfgang Rösenfeldo ⁶⁾ sententiam descendentes, his nisi rationibus. Non adversari naturae Aristocratarum, habere unum caput paulo eminentius, auctoritate reliquos antecedens, quod veluti Directoris et Praefidis in consilio Optimatum vicibus fungatur, et distinguendum esse inter formam regiminis eiusque administrationem. Qvod argumentum ab aliis ita expugnatur, ut dicant, formam civitatis esse principium et fontem omnium in ipsa civitate occurrentiam operationem, quas nullo pacto alias esse posse, quam prout istius efficientia permittit. Iam vero formam reipublicae esse illum fontem, ex quo operations circa eam administrandam profluant, vix igitur ac ne vix quidem fieri posse, ut ab ipsa forma administrationis eius haud discrepet. Qvod subtiliter disputatum esse, sane posteriori debemus. Diversae enim rerum publicarum formae resultant ex subiecto cui summa inheret potestas, prout illa est vel unica persona, quae ista potestate polleat, vel concilium et universis aut paucis constans. Ut vero rationi priori, qua nituntur, qui Imperium Aristocrati contendant, paucis occurramus, afferre lubet, ad indelem et natum Aristocratiae necessario pertinere, ut summa potestas sit penes statum aliquem, et perpetuum senatum, cuius officium in deliberando, et de rebus, ad felicitatem reipublicae pertinentibus, statuendo, vertitur, qualem senatum nemo est, qui in nostro deprehendat Imperio. Objiciunt alii, esse tamen in Imperio Cameram Imperialem, et Consilium Imperiale Aulicum, quae judicia eiusmodi senatus instar haberi possunt. Attamen illa judicia super appellationibus, summam litis appellabilem, Recessu Imperii novissimo quadringentos Imperiales concernentem, ex supe-

4) Quid principes Germanici amittunt, si eorum iura solummodo secundum iuris Romani doctrinam tractantur, iam docuit, Mich. Henr. Griebner in diss. de praecidicio principum ex abuso iuris Iustiniane Vitt. 1715.

5) Hippolitus a Lapide, quem Bogislaus Philippum Chemnitium autunant, in diss. de ratione status, Freistadlii ao. 1647 edita Part. I. Cap. 2. pag. 35 ait, praemissis Reinkingii et Bodini argumentis, In Imperio nostro statum esse Aristocraticum, Monarchica tamen administratione ex parte temperatum, inque illam incidere Aristocratiae speciem, quem Principatum supra diximus.

6) Io. Wolfgang Rösenfeld in tr. de summa principum potestate, 1669.

superioritatibus territorialibus, et quaerela protractae ac denegatae iustiae cognoscunt, nec tamen super omnibus territoriis, quod ad provocations attinet, desideri jure gaudent, quippe, quod inter omnes constat, ut omnes ex aurea bulla Electoratus, sic per specialiora privilegia multa alia territoria, iure de non appellando frauntur. Deinde accedit et hoc, quod Aristocratis demum proprium est nec ullo pacto ad Imperii formam applicari potest. In Aristocracia universi senatus nemo est superior, et singula hujus senatus membra non minus universo collegio pareant, quam ali subditi. In Imperio autem nostro, duabus iudiciis, supra nominatis Imperator, iuncto Electorum collegio praefest, id quod vel ex hoc patet, quod Electores in perquirendis rebus, ad hanc iudicia spectantibus in consertum adhiberi debent⁷⁾ cuius rei exemplum habemus recentissimum in visitatione Camerali Wetzlariae habita.

Nec est, quod Oligarchiam dicamus Imperium Germanicum ob Imperatoris et Electorum praerogativas, dum in rebus majoris momenti, utpote belli et pacis, legibus condendis tributisque decernendis concurrant. Communis olim fuit sententia, quam fovit Limnaeus⁸⁾ et Sibrand,⁹⁾ Imperium Germanicum ex Monarchico atque Aristocratico Mixtum quoddam constituisse. Verum enim vero si mixturam in Imperio Germanico admittere vellemus, haud absolum esse statuere potius, commixtionem oriri ex Monarchia ob iura Imperatoris, ex Oligarchia ob Electorum praerogativas, ex Aristocracia ob Princeps, et ex Democracy tandem, ob Civitatum Imperii iura. Quae quidem si consideramus personati Severini de Monzambano¹⁰⁾ opinio, qui statuit, Imperium esse monstrum hor-

B 3

hor-

7) Burc. Goth. Struvius in Iur. Publ. Prud. Cap. XXXIV. §. 57 & 58. & Iac. Blumius in Proc. Cam. Tit. XI. §. 13.

8) In Iur. Pußl. Lib. I. Cap. I. n. 38.

9) In laud. diff. §. 7 & 8.

10) In tr. de statu Imperii Germanici. Pacificus a Lapide in notis et Stricturis super Severino de Monzambano in disc. I. ait, non satis liquere, quis sit acutissimus de Monzambano, et an sit vere Italus. Eſſe, qui haud vane conjicunt, auctorem illum natione Germanum, et quidem potentissimi Regis ad Septentrionem Ministrum, qui regis nomine in plerorumque Germaniae principum aulis legati munere functus sit, ibique tantum rerum Germanicarum notitiam ſibi comparaverit. Unde communis opinio nota

et,



horrendum, ingens, deformis, cui lumen ademtum, et formam plane facit irregularem, penitus decideret, licet summa industria laboref sententiam suam salvam persistere, cum dicat Imperium, lapsu temporum per foscordem Caesorum facilitatem, ambitionem principum, turbulentiamque facerdotum ex regno regulari in tam male concinnata formam esse provolutum, vt neque regnum etiam limitatum amplius sit, qvamvis extiora simulacra tale quid prae te ferant, neque corpus aliquod, aut styxema civitatum foedare inter se connexarum, sed potius aliquod inter haec duo fluctuans. Sed qvemadmodum laudatus auctor in dicto libro plus Satyram in Imperium scriptis, qvod iam praefatio satis denotat, ita peritiores huius disciplinae eum non minus, qvam Hippolitum a Lapide inter falsos juris publici fontes referunt, qvos nosse debet, qui huic studio nomen profitetur, et in qvibus separanda sunt qvae vera, ingeniose excogitata, elaborataqve industria sunt, et qvae exactissimam rerum Germanicarum peritiam, quibus instructi sunt hi auctores satis superqve produnt, ab iis, qvae stare non possunt, et nihil sunt nisi inventa horum virorum. Qvam diu in Imperio Germanico Imperator vivit, quem omnes ac singuli supremum caput, summa potestate pollens, agnoscunt, ac ea, qva oportet reverentia prosequuntur, nemo sane formam Imperii eam dicet, qvae proxime accedat ad formam reipublicae. Aliud discernit qvod formam regiminis Aristocraticam et Democraticam intercedit, in eo volvitur, ut in Democraticis totus populus, qva talis, in Aristocraticis vero solus demum Senatus, seu corpus populum repraesentans, solummodo summam habeat potestatem eamqve exerceat, nullus vero singularum independentia gaudeat, etiamfi, cum omnes consideremus qvae tales respectu exterorum independentes sunt, et qvae tales agnoscuntur, sed singulus ex iis toti civitati eiusqve regimini subditus permanet. Qvae propter majestas, qvae in vi atqve complexu omnium regalium cernitur, toti civitati semper, haud qvaqvam vero singulis inhaeret.

Refu-

est, Samuel L. B. de Puffendorf hunc librum sub ficto Monzambani nomine Heidelbergae, ubi ao. 1666 primus in toto Germania Iuris Naturae et Gentium professor factus est, scripsisse, et Itali personam sibi induxisse eam ob causam, qvod puraret, mollius profectam veritatem a peregrino exceptum iri, qui partium studio, captandaeqve gratiae suspicioni neqvaqvam deditus sit.

Refutatis itaque adversariorum de forma Imperii Germanici diversis opinionibus, cum Lynkero, Scheffero *), Senkenbergio **) Meyer sapere audeamus, formamque, ut ex legibus Imperii est, definiamus. Cum itaque, ut satis docuimus, Germania nostra nec Aristocratiae, nec Democratiae, nec Oligarchiae nomine insigniri possit, videamus, an in censum Monarchiarum referri queat. Sunt vero duae Monarchiarum classes, absolute non minus, quam limitatae. Absolutas vocamus, in quibus penes regem solum, aut quocunque nomine insigniatur, est potestas de negotiis, summan rerum concernentibus, proprio ex iudicio statuendi. Limitatarum Monarchiarum nomine veniunt, in quibus rex circa exercendos supremae potestatis actus iuraque maiestatica certis adstrictus est legibus. Qui absolutam Imperatoris potestatem circa negotia Imperii Germanici assument, iuris publici rerumque Germanicatum ignorans esse merito contendimus. A parte autem contraria stat Hippolitus a Lapide, ¹¹⁾ qui majestatem, seu exercitium summae potestatis esse penes imperii ordines contendit qui eam et tunc habeant, cum nullus sit Imperator. Quae opinio speciosa satis Ordinibus Imperii vehementer adulatur. Hoc quidem verum esse nemo negabit, cum ex natura Imperiorum profiscatur, orto interregni tempore, seu abdicationis ab imperio principis cuius exemplum in Imperatore Carolo V. suppediat historia, seu ipsius principis captivitate, summam potestatem, regaliumque exercitium redire ad totum populum, seu ad corpus populum representans, a quo princeps habuit, quam tamen populus novo principe electo amplius non retinet. Regem enim sine summae potestatis exercitio, quis est, qui cogitare possit. Praeterea non statim altero est superior, aut imperium in ipsum habet, qui munere suo eundem potest dimovere, id quod et ad Ordines Imperii applicare potes, cum Imperatorem, pacta fundamentalia a semetipso iurejurando confirmata laudentem, communi omnium suffragio dignitate Imperiali privare queant, cuiuscemodi ex-auctorationis exemplum habemus in Imperatore Wenceslao, quod apud Gol-

*) Theodoſ. Scheffer in diff. de Forma Imperii Romano Germanici 1720.

**) De Senckenberg de Forma Systematis Germanici Monarchico - Democratica, Giess. 1724.

11) In libro allegato P. I. Cap. 3 & 4. multis verborum lenociniis hanc opinionem defendere studuit,



Goldastum¹²⁾ copiosus legitur, quamvis, quod natura pactorum docet, ipso Imperatore non sint superiores Imperii Ordines. Quemadmodum enim inter partes aequales alteri parti, prima parte pacta adimplere detrectante, competit isthac pacta dissolvere, ita possunt Ordines Imperii Imperatorem violatis ab ipso legibus fundamentalibus munere suo expellere. Praeseribunt enim Imperatori Electores in Capitulatione, quid ei faciendum, omittendumve sit, non ex vi alicuius imperii in ipsum, sed per modum contractus, quod expressa dictae Capitulationis verba indicant¹³⁾, quorum ea est efficacia, ut, si contra pacta fundamentalia Ordinibus Imperii aliquid velit injungere Imperator, impune ipsis sit, ei non parere. Qvapropter capitulatio ista Imperatorem et Imperium via conventionis devincit, ad quam servandam vel summi Monarchae iure naturae et gentium sunt obstricti. Denique quilibet summus imperans, quamvis limitatus, id habet, ut virium totius regni directio atque applicatio ultimo ad ipsum redeat, utque sub ipso eadem vires uniantur ad commune bonum ita procurandum, ut ab una quasi anima cuncta videantur gubernari. Qvod principium vim suam omnino exserit in Imperium Germanicum eiusque formam. Idecirco Imperator non solum qualis, sed et quoad summam, qua pollet, potestatem, semper unus est, idemque, in tota Germania unica independens persona, quo nemo, nisi Deus, Superior, quique praefectum vires suas intendere debet omnes ad libertatem Imperii, eiusque iura salva-fartaque praestanda. Qvae si contemplamur, Germaniam non rempublicam, nec pluriū rerum publicarum congeriem, sed vere Monarchiam inveniemus. Etenim Imperator delata sibi ab Ordinibus Imperii, totam nationem Germanicam representantibus, summa potestate, est Sacratissimum Imperii caput, indicat comitia, recessus et conclusa Imperii suo nomine promulgat investiturę de feudis. Augustissimus, invictissimus Imperii praeful solus est, qui in Imperio Majestate, seu vi atque complexu omnium regalium, immanentium aequa ac transuentium, gaudet. Hinc iure inspiciendi custodiendi que

12) In Scriptoribus Rerum Alemannicarum T. I.

13) Vid. Capit. Aosphi II. Fries. & Lips. ao. 1773. edita in Preorio sub hinc — für sich und sämtliche Churfürsten, Fürsten und Stände des heil. Römischen Reichs Geding und Pachtweise, dieser nachfolgenden Articulen vereinigt, verglichen, angenommen und zugetagt haben ic.

Sic denorant verba, sollen und wollen, saepenumero in Capitulatione occurrentia, naturam pacti.

que leges publicas utitur, et ut quilibet princeps territorialis in dirigendo territorio suo leges Imperii sequatur, curare debet. Dividunt quidam recentiores majestatem in realem et personalem, quam potissimum Imperatori adscribunt, eique partem majestatis realis unam, alteram vero Ordinibus Imperii attribuunt. Sed qui hoc statuant, non Ordinibus solum adulantur, et iura Cæsarea diminuere cupiunt, verum etiam in eo peccant, quod majestatem, divisionis incapacem, citra philosophica et iuridica principia dividere student. Qvam falsa vero haec sit sententia iam ex ipsa Cæsaris potestate iudicaria elucet, cui omnia territoriorum iudicia sub sunt, et Imperatori curae est cordique, ut iudicaria potestas territorialis secundum leges Imperii, pactaque territorii fundamentalia exerceatur. Nec hic attendi meretur, qui objiciunt, iudicariam Cæsaris potestatem in territoriis, privilegio de non appellando fruentibus, iacturam fecisse, cum in iis ipsis querelam protractae et denegatae iustitiae ad Imperatorem, supremum iudicem, instituere ei liberum sit, qui se sententia istius principis gravatum putat, et ubi insanabilis processus nullitas adest. Sic Imperator est supremus iudex, sic advocatus ecclesiae, quid qvod, qui vel pacta inter Ordines Imperii inita ex ipsa supremi iudicis potestate, confirmare, vel reprobare potest. Sic Imperator vi supremae potestatis rescindere debet omnia negotia, tum ipsis Imperii legibus, tum saluti gentis Germanicae contraria.¹⁴⁾ Etsi extra omnem dubitationis aleam positum est, Ordinibus Imperii, et praeprimis Electoribus coimperium aliquod competere, et Imperatorem Capitulatione et imprimitis paragrapo Gaudent Pacis Westphalicae in exercendis quibusdam iuribus majestaticis v. c. belli et pacis, et foederum Imperii cum gentibus extraneis, ad consensum Comitialem adstrictum esse, Ordines tamen ipsi, Imperatori non minus quam legibus Imperii subjacent, ideoque in arctius foedus coaluerunt, quam systemata Helvetiorum Belgorumque foederata. Ad laudatum Coimperium planius illustrandum quod attinet, sciendum est, competere illud tantummodo toti Ordinum conventui, tanquam collegio, omnem nationem Germanicam representativitatem, et locum sibi vindicare, in omnibus iis casibus, regalibus, iuribusque, quae vim in totum Imperium Germanicum habent, in quibus, quod iam diximus, Ordines Imperii in consortium adhibere necesse habet Imperator, id quod ex ipso regi-

mini;

¹⁴⁾ Überius haec exposuit Fr. Bregerus in diss. de potestate Auguſtissimi ſuppletoria, utpote partis potestatis iudicariae necessaria, Tübingae 1772.



minis iure et modo fluit. Duplicis enim generis est regimen Germanicum, commune, et proprium. Primum gerendum est adhibitis in consortium statibus.¹⁵⁾ Qvilibet Ordo Imperii qva talis, id est, qva membrum Imperii, des heil. Rœmischen Reichs Mitfland, particeps esse potest nominati Coimperii, eique licet pro parte sua conferre, qvod ad salutem Imperii pertinet, qvatumvis Monarchiae Germanicae subditus esse hanc definat. In proprio autem regimine, qvod in iuribus Imperatoris reservatis perspicitur, exulat omne coimperium. Sic Imperator, licet ei adjuncta sint eomitia, remanet Monarcha Imperii, ut reges Poloniae, Sveciae, Magnae Britanniae et Galliae, qui etiam certis legibus sunt restricti. Qvis est, qui hume statum Monarchicum neget, qvo omnis sit forma regiminis sub nomine majestatis? Qvod in Germania quotidie videmus. Etenim si de lege Imperii qvadam condenda, vel abroganda, vel de bello Imperii indi- cendo in Comitiis inter Imperatorem, Imperii Capit, et Ordines, Imperii membra actum, conventumque est, utriusque partis consensus adest, et duplex voluntas in unam coalitus, tunc incipit Caesareae majestas operari, et Imperatoriubet, ut omnes ac singuli, nemine excepto, latae ac promulgatae legi pareant. Dum inter utramque partem deliberatur, adest aequa- litas personalis, qvae finitis consultationibus definit, et Imperatoria Majes- tas in summa vi et potestate sese exerit. Si porro in civitate summo im- peranti, licet certis adstricto legibus, per pacta fundamentalia majestas, et plenitudo majestatis competit, nonne eam Monarchicam appellaremus?

In Imperio autem nostro soli Imperatori competit majestas, et plenitudo potestatis Caesareae¹⁶⁾ secundum qvam summam in Imperio repreäsentant personam, secundum qvam omnibus ac singulis in Imperio subditis impe- riat, idqve sub poena amissionis privilegiorum Banni, et vitae, secundum qvam ea facere potest, qvae huic potestatis Caesareae sunt annexa. Haec plenitudo se super omnibus regimini communis objectis extendit, et finem habet eum, ut Imperator curet, qvae salutem tranquillitatemque Imperii Germanici internam externamque augeant, promovere, qvaeqvae huic fini

offi-

15) Vid I. Iac. Moser in tr. von des Kaisers Regierungs-Rechten und Pflichten, 1772. 4. et Iac. Bernh. Moltzii Repräsentatio Majestatis Imperatoriae 1698. fol.

16) Vid. Nic. Chr. de Lyncker diss. de Plenitudine potestatis Caesareae, Ie- nae 1691. Io. Jac. Moser von des Kaisers Machtsprüchen, Krafft. 1752. Strubeni's Mehenstunden, Tom. V. p. 84. quibus omnibus supreminet Illustris Christianus Gottlob Biener Antecessor. Lips. in libro Bestimmung der Kaiserl. Machtvolkommenheit aus Staatshandlungen, Reichsgesetzen und Urkunden, Leipzig 1779.

officiant, propulsare¹⁷⁾). Summum denique argumentum pro forma Imperii Monarchica in eo cernitur, quod omnes principes territoriales, quotquot in Imperio deprehenduntur in verba Imperatoris iurare, eique tanquam Domino suo fidelitatem, obedientiam, et subjectionem praestare idque in scriptis eorum ad Caesarem missis fateri teneantur. Sic Imperatori ab omnibus Imperii civibus homagium praestatur, quod ex parte recipientium superioritatem denotat, ex parte vero praestantis subjectionis est fundamentum. Possimus sane et hoc asseverare, Germaniam et olim suisse Monarchiam, nec aedes paetum in contrarium, quod adminiculatibus historiae monumentis paululum illustrare habet. Constitutio Imperii Germanici a Carolingorum temporibus erat Monarchica, ita tamen, ut comites Germanos haberent Francorum Reges. Ordines Imperii ad Comitia vocabantur, non decidendi causa, sed consultandi ergo. Regni etiam ius erat hereditarium¹⁸⁾). Mortuo Carolingorum stemmate ius Imperatorem eligendi quinque Germatorum populi sibi vindicabant per duces suos, proceres et magistratus. Ex quo sequebatur, ut Ordinum potestas magis magisque cresceret, atque duces sub Conrado I. id obtinebant, ut ducatos suos, quibus antea sub administrationis titulo praererant, tamquam proprios possiderent. Ottone Magno Imperii gubernacula tenente Imperium Romanum Regno Germaniae iure perpetuo junctum, Imperialis vero auctoritas plurimum conservata est, quae tamen successu temporis decedentibus Ottonibus et Henricis posthaec imperantibus vehementer decrevit, quod per Imperatorum fosciam, Principum ambitionem, et Episcoporum turbulentiam, bene monente Monzaniano, effeclum esse docet historia Imperii. Friderico II. diem supremum obeunte, Imperialis potestas plane decidit, cum interregni tempore superioritatem territoriale¹⁹⁾ et alia iura sibi vindicarent proceres Germaniae, crescentibus

C z

bus

17) Fridericus I. et Fridericus II. Imper. primum plenitudine potestatis Caesareae utabantur, ut illos inter eis Romanos Pontifices aequilibrium servaretur.

18) Hac omnia copiosius demonstravit Burch. Goth. Scrivius in Corp. Hist. Germ. P. III. §. 36.

19) Vid. Io. Iac. Moser in libro von der deutschen Reichsstände Länden, Landständen, Unterthanen &c. 1769. 4. p. 286. seqq. Idem von der Landeshoheit überhaupt. 1770. 4. Idem von der Landeshoheit in westlichen. 1773.

4. Strubeni Observ. Juris et Historiarum, 1769. No. 4. Idem in Nekem stunden, Tom. II. No. 10. Io. Steph. Pütteri Beyträge zum deutschen Staats- und Fürstenrechte, I. Th. No. 6. & 10.



bus p̄aepr̄mis tacito reliqvorū statuum consensu Electorum p̄aerogatūtis. Nec subsequentes Imperatores apti erant atq̄e idonei ad pr̄istinam potestatem, splendoremq; dignitatis Imperialis recuperandum, qvāntuvis tēte historia Rudolpho Habsburgico animus haud deesset, q̄i qvidem, qvō inexpectatiō eius erat ad dignitatem Imperialem elevatiō, eo magis eam promereri studebat, et internam Imperii tranqvillitatē promovebat. Etsi autem diligenter haec omnia observabat, ad finem propositum rem tamen producere non poterat, qvīn potius statuum p̄tefas, qvās antehac incerta erat, et solo vertebarū potestatis Caefareae exercitio, bello Smalcaldicō magis stabiliretur, qvīnīmo demūnū per pacem Westphalicā, legem Imperii fundamentalē et pragmatīcam firmaretur definireturq;e. Qvās qvidem status Imperii mutatio successu temporis facta, neq̄vaq̄am concedit Imperium Germanicum ad Aristotelicas formas reduci, nec mixtum dici posse, nec irregulare, cum per leges Imperii sit fundatum atq̄e stabilitum. Ex qvib; hic, et antea disputatis, cuiilibet intellectu facile erit, Imperium nostrum sibi metu foli propriam habere formam, qvām, cum aliis si comparas, anomalam invenies, qvām tamen, ex omni parte si consideramus, ad Monarchicā referendam esse, iure meritoq;e censemus.



vol 18

ULB Halle
006 357 881

3



M.5

AKTK 4540



NONNIHIL
DE FORMA IMPERII ROMANO GERMANICI
PRAEFATUS

V I R O

PRAECELLENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

**CHRISTIANO FRIDERICO
SCHMIDT,**

SUMME REVERENDI CAPITULI MERSEBURGENSIS
SYNDICO

N O V U M M U N U S

F R A T R U M S U O R U M N O M I N E

G R A T U L A T U R

C H R I S T I A N U S E R N E S T U S S C H M I D T .

LEUCOPETRAE,
L I T T E R I S I F I A N I S .